





1676, 12

Q. F. F. Q.
DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De
F I D E,

Quam
Indultu Incl. Fac. Phil.
publici Exercitii gratiâ ventilandam proponunt

Præses
M. Gottfried Nicolaus Sttig /
Jur. Candid.

et Resp.
Gottlob Friedrich Seligmann /
Zittâ - Lus. Magist. Cand.

Lipsie die XXII. Jan. M. DC. LXXVI.
H. L. Q. C.

Typis Viduæ JOH. WITTIGAU.

1676



H. F. O.
DISPUTATIO PHILOSOPHICA

D.
F I D E

Quam
Inducta Incl. Fac. Phil.
Publici Exercitii gratia ventilanda proponunt

Præf.
M. Gottfried Nicolaus Wittig
Jur. Candid.

Mag. Joh. Wittig
Lect. - Publ. Magist. Coadj.
Lipſie die XXII. Jun. M. DC. LXXXVI.
H. F. O.

Typis Viduae Joh. Wittigian.





In Nomine JESU!

PROOEMIUM.

Dogitanti mihi, quamnam ad disputandum eligerem materiam, in mentem venit, quod plerique Disputantium, raram seligendam esse materiam, statuunt. Sed quid Fide rarius? cum dubitare licet,

An si qua est, quæ restat adhuc mortalibus, usquam Intemerata fides?

Nam certè eò pro dolor! perventum est, ut quilibet fermè aliud simulet, aliud agat, nec ullibi tuta amplius fides reperitur. Quod cum me tacente omnibus notissimum sit, statim ad ipsius Thematis tractationem me accingam. Hanc autem decem Aphorismis absolvam, quorum (1.) de Fidei definitione nominali. (2.) de Definitione reali. (3.) de Divisione. (4.) de Subjecto. (5.) de Objecto. (6.) de Forma. (7.) de causa Efficiente. (8.) de fine. (9.) de Effectu, & (10.) de contrariis ager. DEUS T. O. M. conatum hunc gratiosè dirigat, quò cedat ad sui Sanctissimi Nominis Gloriam & Fidei conservationem!

APH. I.

De Definitione Nominali.

§. 1. Non videtur esse necessum, ut ante Definitionem Nominalem prolixè de sede hujus materiæ inquiramus. Alii ad Politicam Doctrinam referunt, quia Fides nexus est, & quoddam vinculum humanarum societatum, tam simplicium quàm compositarum: Alii sedem hujus doctrinæ etiam in Ethica quærendam esse putant, utpote quæ inter alia etiam de Veritate agit, cujus species & fides esse dicitur. Nobis perinde fuerit sive ad hanc sive ad illam quis fidem referre malit.

§. 2. Tria verò in hoc Aphorismo examinantur. - 1. Etymologia.

A 2

2. Hono-

2. Homonymia, & 3. Synonymia Fidei. Etymologiam quod concernit; Quidam fidei vocem à firmitate derivant. Quinam rectius à fido dictam volunt, quod alter contrahentium alteri fidat, nec dubitet, quin facturus sit, quod dixit, unde & quidam fidem inde appellatam asserunt, quod fiat, quod dictum est. Fac ergo quod dicis, & fides erit. Cic. lib. 1. off.

§. 3. Homonymia perquam latè se diffundit, sed ut brevis sim, fidem hoc loco accipio moraliter, quatenus opponitur perfidiæ; De cæteris vocabuli acceptionibus Lexicographi agunt, qui & Synonyma Fidei adducunt, quod nempe aliò nomine vocetur animi integritas, justitiæ fundamentum & quæ sunt similia.

APH. II.

De Definitione Reali.

§. 1. Definitur Fides à Cicerone. Lib. 1. Off. quod sit dictorum conventorumq; constantia & veritas.

§. 2. Dicitur licet proprie id tantum dicatur, quod verbo tenus absq; promissione pronunciatum est, seu quod nudo sermone finitur, hoc tamen loco id cum effectu intelligimus, & quod ita dicitur, ut præstetur, hinc addita vox est conventorum, ut excludantur nudi sermones & relationes: hic enim dictum cum facto, quod promissum est, præcisè debet convenire, nisi fortè ratio ejusmodi occurrat, quæ promissorem legitimè impediatur, ut potius contrarium facere sit obstrictus, sicut hoc exemplo gladii depositi clarescit, quem reddere furioso minimè licet, utut depositarius semper restitutum eum promiserit, & aliàs bona fides requirat, ut rem depositam, recipiat is, qui dedit. Cum itaq; dicitur fidem esse dictorum conventorumq; constantiam & veritatem tunc hæc verba intelligenda sunt regulariter & cæteris paribus, ita ut nullibi repugnet ratio, quæ in his consistit, ne cui noceatur, deinde ut communi utilitati serviatur. Hæc utilitas quia tempore mutatur, commutatur etiam officium, ut non semper fit idem. Cic. d. l. Sæpe igitur, quæ natura videntur honesta esse temporibus fiunt inhonesta. Prudentiæ ergò est, nihil nisi sub conditione polliceri: Hinc & istæ formulæ & clausulæ tam in Instrumentis & Syngraphis, quam etiam in discursibus usitatæ: Si DEUS volet! si quid inopinati non interveniet; bona fide: citra dolum &c. Per Constantiam

stantiam igitur intelligitur hoc, ut verba ad rem conferantur, nec mutetur post pactum sententia, prout faciunt ii, quos ob levitatem, quæ in illis est, ex tribu levi natos, per allusionem asserunt. Ut autem vulgo improbari solet levitas, ita non minorem meretur rejectionem pertinacia eorum, qui constantiæ causâ opiniones pravas defendunt. Per veritatem autem indicatur non quærendas esse cavillationes, quibus promissa eluduntur & ad alium sensum detorquentur. v. *Henr. Wolff. in Comm. ad Cic. Off. Lib. 1. p. m. 133.*

APH. III.

De Divisione.

§. 1. Fides pro diverso respectu variè dividi potest, Nam ratione *Subjecti*, quod est persona, (1.) in publicam & privatam dispescitur; illa, quæ fit publicò nomine à persona publica, sive sit summæ sive inferioris potestatis; hæc, quam quilibet privatus suo aut alterius privati nomine interponit. Deinde ratione *relationis diversæ* in activam & passivam sive datam & acceptam, quia semper duæ ad minimum personæ intercedunt, quarum altera fidem pollicetur, altera eam accipit & fidei.

§. 2. Dividitur porro respectu *Formæ Accidentalis* (1.) in spontaneam & invitam. Spontanea est, quam quis ultro & nullo cogente præstat. Invita seu violenta, quæ metu aut vi extorquetur. Nam utur fides ex conventionem descendat, & hæc iterum ex consensu originem capiat; nihil autem fermè magis contrarium sit consensui quam vis & metus; tamen illud ipsum respectu liberi plane consensus intelligi debet, non de consensu simpliciter tali. Nam & coacta voluntas est voluntas, quod inde patet, quod spontaneum sit, quod petimus atq; eligimus scientes & volentes. Eligimus verò etiam id, ad quod metu alicujus peioris mali impellimur. *Exc. Dn. Thomasius in Tab. Eth. 11. de spontan. & invit.* (2.) Injuratam & non juratam; hæc, quæ & simplex dici potest, iterum vel tacita vel expressa est. Nam & silentio quædam conveniri posse constat: nec sine ratione, quia consensus in conventionem necessarius qualitercunq; indicatus & acceptatus vim habet juris transferendi, quare & signis fieri potest sic v.g. velandida tacitum pactum, habent petiti colloqvii & obligant non mi-

nus quàm si voce petatum illud esset *secundum Grot. de J. B. & P. Lib. 3. c. 24. §. 1. & 5.*

APH. IV.
De Subjecto.

§. 1. Subjectum Fidei est persona ad fidem dandam habilis, sive ea sit publica sive privata: nec interest, utrum illa potestatem habeat propriam (ut est Magistratus ipse) an verò communicatam, qualem in Magistratum Ministris videmus v. g. Legatis, Syndicis & similibus. Illud tamen interest, utrum publica persona circa negotia privata, an verò publica, quoad fidei promissionem occupata fuerit. Nam si prius, non publicum, sed privatum nomen saltem meretur.

§. 2. Quilibet verò fidei dandæ capax esse intelligitur, nisi consentire nequeat, quod *intellectum vel nondum perfecte acquisiverit, vel alio impedimento quopiam detineatur*: ad priores refero (1) *Infantes*: hi enim non tantum ipsi, quæ faciunt, non intelligunt, sed etiam ab aliis aperte intelligi nequeunt, cum verba eorum valde sint imperfecta, adeo ut etiam à non fando nomen accepisse videantur. (2) *Impuberes*: quia ad perfectæ promissionis vim usus rationis exigitur, & conventio est ex diversis animi motibus electa sententia; electio autem ex iudicio atq; animi destinatione oritur, iudicio verò destituuntur Impuberes, ideoq; rectè omnino pro incapacibus promissionum habentur, nec pro debitoribus haberi possunt, nisi forte (1.) ex re nascatur obligatio, quod accidit in rerum communionibus, si alter dominorum rei communis in rem communem impendit aliquid communi nomine: Tunc enim, si impensæ fuerunt necessariæ præprimis, alter etiam, qui nihil impendit, ad restitutionem impensarum pro rata portione ex ipsa re seu facto obligatus censetur. (2.) aut doli capaces sint. *An & minores?* Non. Licet enim & hi non satis firmum iudicium habere credantur, uti, nec *fæmine*; non tamen adeò imprudentes sunt aut censentur, præprimis si majorennitati proximiores fiunt, quo minus id, quod agitur, aliquatenus percipere adeoq; ex consensu suo subsequuto obligari possint. Ad posteriores refero non tantum *Furiosos, sed & Ebriosos*, qui ex habitu mentem quotidie crapula obruunt, quos obligari ex promisso ita existimo, quemadmodum furiosi intervalla furoris habentes. Nam sicut furor ita & Ebriositas mentis exilium inducere

tere solet: Jam verò furiosi obligantur tantum tempore intervalli,
non verò furoris durantis. Item ebrios, qui actu quodam inopinatio
omnem rationis functionem amiserunt, ita ut ad puerorum, qui ob
teneram ætatem obligari non possunt, quasi statum animi redeant.
Huc etiam certo modo spectant *Irati*. Nam & ira furor brevis est,
quam temperare difficillimum. Item *amorosi*, eo quòd furore amo-
ris nihil vehementius videatur. Aliq; Sic ex jure Romanorum
etiam huc spectat Prodigus legaliter, hoc est secundum formam in Ju-
re præscriptam *talis per l. 6 ff. de V. O.* ubi dicitur: *Is cui bonis interdictum*
est, non potest promittendo obligari. Et rectè, non quidem ob defectum fa-
cultatis intelligibilis, sed ob consensus moralis absentiam, dum neq;
tempus neq; finem expensarum facit, sed bona sua dilapidando & dis-
sipando profundit, ideoq; etiam eidem exemplo furiosi curator da-
tur, usq; donec mores recipiat.

§. 3. Non verò idem, quod diximus de data fide, extendendum est
promiscuè ad acceptam, quasi in hac eadem prohibitiones locum ha-
bere debeant, quia acceptandi animum (qui in omnibus pactionibus
& promissionibus, ut subsistant, necessarius est, sive sit expressus sive
tacitus v. g. si promissionem forte olim præcessit rogatio, hæc enim
vim acceptionis habet secund. *Grot. 2. c. 11. §. 14*) æquitas supplet, quæ
unicuiq; suam conditionem meliorem potius, quàm deteriore red-
dere citra alterius damnum posse concedit. Sibi imputet Promissor,
quòd ejusmodi personis aliquid promiserit, damnum enim, si quod
sua culpa patitur, sentire non videtur.

§. 4. Dare autem fidem possumus vel per nosmetipsos vel per
alios, qui nobis instrumenti loco sunt, per quod voluntatem nostram
declaramus: ut sunt Mandatarii, Procuratores, Legati, Institores &
similes. Declaratur autem voluntas nostra per eos variis modis, mo-
dò stricte inhærendo, modò omnia liberè agendo, modò aliter ge-
rendo, scil. pro diversitate mandati, quod vel expressum est, & suos
fines atq; terminos agnoscit, quos egredi non facile licet, vel tacitum
& contrahitur permittendo vel non contradicendo, nempe si alius
negotia nostra gerit, & præsentis illud patimur. Nam & hoc casu
omnem ipsi simul facultatem, quæ ad ea gerenda necessaria est, con-
cessisse videmur. Item aliud mandatū est generale, aliud speciale, aliud
cum libera facultate, pro lubitu agendi, aliud sine liberâ; aliud præsen-
tes,

tes, aliud inter absentes, per nuncium, vel epistolam. Qua occasione
quæritur: An is, qui epistolam accepit, nec ei contradixit consensisse, a-
deoq; mandatum suscepisse censeatur? quod utut affirmandū sit, for-
te ex vulgari illo: qui tacet, consentire videtur, tamen probabilior mihi
quidem videtur negativa cum Bacchov. ad Tr. Vol. 1. D. 26. O. 5. lit. f.
ubi ait: Nam ut cunq; præsens forte, & tacens pro consentiente haberi possit,
aliud tamen est in absente, qui vix unquam, si taceat, pro consentiente haberi
potest, cum multa incidere possint, & impedire, ne respondeatur Epistola, nec
quispiam respondere tenetur, ut potius non respondens pro recusante habendus
videatur, nisi forte aliud ex circumstantiis pateat.

§. 5. Sed Q. Utrum etiam, si quis mandati fines excedat &
promittat, quod vi pacti conventi non debebat, ex hac pollicitatione
teneatur principalis? e.g. si Legatus instrumentum procuratorium
excedit unum vel alterum sui Regis nomine promittendo? & Resp.
Adhuc teneri Principem, si modo excessus ille non sit nimium
alienus à voluntate Principis, sed probabiliter ex præpositionis natu-
ra atq; circumstantiis in Principis officio contineatur, & ea concer-
nat, quæ vel ipse Princeps, si Præsens fuisset, perpetrasset add. Grot.
Lib. 3. c. 2. §. 22. & lib. 2. c. 11. §. 12.

§. 6. De cætero, si Legatus Principis strictè speciale mandatum
observavit, & omnia omninò secundum intentionem constituentis
peregit, tunc effectus hic erit, ut Princeps firmiter obligetur, & pro-
missa servare teneatur. Fides enim cum in omnibus, maxime tamen
in Principe & Reip. moderatore necessaria est, sicut enim in aliis fidem
fallere probrosum, ita in Principe abominabile æstimatur. Royz.
Decis. Lituan. 4. n. 41. & sane actum est cum Rep. si qui fidem tueri
debent, eandem violant, Vita enim nostra subsistere sine contracti-
bus & commerciis fide firmatis non potest. Nec enim omnis fert
omnia tellus, sed plerumq; evenit, ut quod alteri regioni superest, al-
teri desit, ideo vel olim unusquisq; secundum necessitatem tempo-
rum & rerum utilibus inutilia permutare cogebatur, jam verò misere
vivunt, quorum fides suspecta est, siquidem ab illorum commercio
& conversatione homines abstinent. Sancta igitur omnino & invio-
labilis, non suspecta Principum fides esse debet, quod etiam movit
quosdam statuentes: nil interesse inter fidem Principum, wenn Sie
bey Fürstlichen Treuen und wahren Worten etwas zusagen/
& inter

& inter juramentum privatorum ex Receptis Imper. de Anno 1555.
§. und da ein Churfürst. & ita etiam conclusum esse Spiræ docet
Myns. 1. Obs. 17. Rationem hanc addit (1.) quia de jure verba Principis
debent esse firmissima etiam non jurata. Sed hæc ratio vix aliquid ad præ-
rogativam Principis contribuit, quia vel cujuslibet privati verba de
jure firmissima, etiam non jurata, esse debent. (2.) quod talis promissio:
Affero per fidem meam eandem vim habeat cum juramento ex consuetudine
Germaniæ adeoque æquipolleat juramento, & sit species juramenti: verum
nec hæc ratio quoad Principem sufficiens est, hæc enim præsupposita,
itidem Privatus ejusmodi promissione: Affero per fidem meam à ju-
ramento præstando liberabitur. Sicut etiam hoc de Doctoribus le-
gitimè promotis asserit Berlich. p. 2. conclus. 21. n. 38. quorum nudæ
promissiones pro juratis habentur. Deinde, si concedamus, non esse
differentiam inter fidei præstationem & juramentum, sequeretur,
quod hujusmodi promissionis personarum illustrium factæ sub pri-
vatione existimationis valeant & æquipolleant juramentis etiam in
iis casibus, ubi ad substantiam ejusdem requiritur solenne & cor-
porale aliquod juramentum v. g. in feudi investitura, quod tamen
negatur vid. Carpz. p. 2. c. 36. d. 9. quia tunc juramentum per æqui-
pollens adimpleri non potest, utut possit adimpleri in casibus, ubi
juramentum pro actus substantia de jure non requiritur, ad corro-
borandum tamen eundem accedit, de quo eadem nemo dubitat,
cum in tali casu & juramentum & talis fidei præstatio planè abesse
possint, quia tunc contractus per se jam sunt validi & perfecti, ut con-
trahentes, etiam si nil plane juramento confirmarint, ab eodem resilire
nequeant altera parte dissentiente, dum obligatio ex contractu nata
producit actionem. cujus ope discedens ab eodem actori præstare
tenetur id, quod in contractus natura continetur. Est igitur hæc
mea conjectura, quod quidem ex Imperii Constitutione supra allata
Principibus quædam prærogativa atque eminentia, quoad fidei inter-
positionem fundata sit, non verò ob rationes à Mynsingero relatas.
Utut verò de jure Imperii ita promissiones personarum illustrium
factæ æquipolleant juramentis, tamen hisce in provinciis Saxonice
non nisi pro simplicibus promissionibus in causis, ubi verum, solen-
ne & corporale juramentum requiritur, habentur Carpz. d. l.

§. 7. Quamvis autem hæc ita sint & Promissiones Principum in

B

nostris

nostris Provinciis pro juramentis non habeantur, exinde tamen non sequitur, ac si Principes fidem præprimis subditis semel datam retractare possint. Renunciarunt quippe quasi suo juri & summæ potestati legibus solæ per conventionem & capitulationes, & sic quod de suo detraxerunt, subditorum juribus adjeecerunt. Nec obstat jus eminentis domini in res & jura subditorum, quod Principibus aliàs tribuitur (inter res autem subditorum sine dubio & hoc jus est, quod habent ex promisso natum) quia hoc eminentiæ jus Principibus indistinctè minime competit, sed quatenus communiter expedit in regimine. *Grot. 3. cap. 19. §. 7. de J. B. & P.* Jam verò plerumque & communiter expedit talia pacta servare, cum actum sit de Rep. si qui fidem tueri debent, eandem violant, cum Regis ad exemplum totus Orbis componatur. Obstricti ergò omnino Principes sunt, non tantum à se promissam servare fidem, sed insuper etiam promissionibus defunctorum suorum insistere debent. *Reinck de R. S. & E. l. 1. d. 3. c. 10. per tot.* duobus tamen modis hanc sententiam limitat *Perez in C. de LL. n. 16. & 17.* (1.) nisi à defuncto data fides vergat in grave subditorum præjudicium, *Aur. Bull. von Wiederruffung der Freyheiten/* quorum certè res atque fortune iniqui Principis sui conventionibus arteri & deminui non debeat. (2.) nisi Prædecessoris fides data est, non ut à Principe, cuius est successor. Nam tunc personalis illa obligatio ad successorem Imperii, nisi simul sit hæres Antecessoris, non manat. Aliud ergò dicendum, si publico nomine data fides fuerit, tunc enim repræsentationis jure defunctum repræsentat, quia non tam Princeps defunctus, quam Imperium, quod immortale est, fidem dedisse censetur: quibus adde (3.) nisi Princeps successor bello vincat subditos eosque in servitutem redigat ex *Grot. Lib. 3. c. 20. §. 6. &* (4.) nisi expresse sibi voluntatis Prædecessoris sibi mutationem reservarit. Nec enim tum injuriã quis alteri facit, dum jure sibi reservato, in quod alter consentit, utitur. Alii circa hanc Qv. distinguunt inter Principes, qui successione hæreditaria, & eos qui electione ad hoc honoris fastigium everti sunt, & priores obligari asserunt, ne utique posteriores *Rauchb. p. 2. q. 11. n. 72.* rationem diversitatis dat *Grotius Lib. 2. c. 14. n. 10. seq.* quia posteriores non immediate & quia successores obligari possunt, quia jus non accipiunt ab eo, qui proximè decessit, sed à populo penes quem erat electio Principis.

APH.



APH. V.
De Objecto.

§. 1. Objectum fidei aliud materiale, aliud formale est. Materiale iterum vel externum, vel internum vel medium.

§. 2. Externum aliud personale est, aliud reale. Personale objectum constituunt personæ, quibus fides servanda promittitur, quales sunt non tantum amici, sed & inimici. Nam & hosti, si qua fides promittitur, servari debet, quod Grotius Lib. 3. c. 19. §. 2. undè deducit, quod hostes non desinant homines esse, ut ut nobiscum bellum gerant, jam verò homines capaces sunt juris ex promisso, quia pacta servare ex jure naturæ nascitur.

§. 3. Possit tamen ratio dubitandi etiam ex jure Naturæ petita afferri, scilicet quod hostem impunè occidere liceat, quia omnis hostis, quæ talis, vitæ alterius hostis & militis (qui enim miles non est, nec sacramento militiæ obstrictus, ille non habet jus pugnandi cum hoste, si Ciceroni lib. 1. Off. 3. §. atq; in Rep. & ex eo Grotio Lib. 3. c. 18. §. 1. credimus) insidiatur, aut saltè insidiari præsumitur, quod ergò quis ob tutelam corporis sui fecerit, & occiderit hostem jure fecisse existimandus est, melius quippè est prævenire, quàm præveniri, neq; tenetur quis primum ictum expectare, & præterea satius est opprimere quàm opprimi. Hoc præsuppositò facile quispiam cum Cicerone lib. 3. Off. argumentari posset: *Quem de jure Natura occidere possum impune, ipsi etiam de jure Natura res & jura potero auferre: seu ut verba ejus habent: Neq; est contra Naturam, spoliare eum si possis, quem honestum est necare.* Cui enim id, quod majus est, licet, quidni eidem id, quod minus est, licebit. Hujus rei etiam vestigium ex antiquatâ apud Romanos servitute patet, ubi omnia bona, quæ servi acquirebant, dominis cedebant, quia Dominis in eos competebat jus vitæ & necis: Jam verò inter res & jura hostis est etiam hoc jus ex promisso quæsitum. At qui hostem vita privari posse ex antea dictis patet, ergò concludendum est fidem hosti non servare esse secundum jus naturæ.

§. 4. Quidam ad hoc respondentes distinguunt, inter fidem, quæ hosti promittitur ratione & intuitu pacis vel belli adeoq; nomine publico, & inter fidem, quæ datur respectu sui ipsius, adeoq; nomine privato. Sed mirum est inquit Grot. lib. 3. c. 23. §. 1. inventos esse juris

Magistros, qui docerent pacta publicè inita cum hoste fidem adstringere, at quæ à privatis fierent non item; licet enim illo casu bellum publicum hoc peculiare habeat, ut quæ in eodem ejus finiendi causa promittuntur, adeò sint valida, ut invitò eò, cui promittuntur, revocari nequeant. Id. Lib. 3. c. 19. §. 11. & 12. attamen, cum etiam privati jura privata habeant, quæ obligare possunt & hostes capaces sint acqvirendi juris, nescio quid obligationem impediatur. Utut verò hanc distinctionem removeat Grot. d. l. non tamen ad quæstionem hanc respondet, forte ideò, quod tota hæc quæstio frustranea videatur, cum impossibile sit, ut talis casus oriatur, ubi fides hosti servari debeat. Eo enim ipso, quo hostes cum hostibus de hoc vel illo negotio paciscuntur, & fidem promittunt, hoc etiam ipso ratione illius pacti conventi non amplius sunt hostes, sed amici, adeoq; dubium non est, quin sibi promittentes ad servanda pacta sint obligati.

§. 5. Imò non hosti tantùm, quem Jus Gent. agnoscit, sed & latroni & piratæ data privatim fides obligat; quamvis enim fides requirat actum spontaneum, qui hic non præsumitur, cum metus illatus promisso causam dederat, tamen & hic promissor consensit, scil. in minus malum, dum mavult fidem, quam vitam dare, adeoq; sic absolutus consensus adest, licet non adeò perfectus. Non secus ac in projiciente merces suas in mare, metu naufragii, qui quidem res suas servare vult sub conditione non imminentis periculi & naufragii, si possibile foret, sed tamen absolute vult res perdere, spectata scil. tempestatis, loci, & rerum circumstantia.

§. 6. Hinc etiam eo minus promissor metu coactus, si juraverit, suam fidem violare potest, cum adversus DEUM non sit metus exceptio. Putant quidem nonnulli, promissorem momentanea solutione & præstatione posse defungi, ita ut liceat ei, quod solvit recuperare per restitutionem in integrum, sed dubito, annon verba in juramento cum effectu intelligenda sint eum Grot. Lib. 2. c. 13. §. 15.

§. 7. Qu. a. ulterius: Annon fides metu vel simili modo extorta si servetur, ad injustitiam referri debeat? Quod affirm. Cic. in Off. ubi fidem latronibus datam, non modo non esse servandam, ait, sed eum quoq; qui servat eam, committere injustitiam asserit. Sed negativa verior videtur, utut enim dignus sit latro, cui fides non servetur, ne ex sua malitia lucrum sentiat, at certè tu indignus, qui fidem frangas, majus enim

enim esset malum iniusta agere & fidem fallere, quam iniusta pati & ab aliquo decipi.

§. 8. Imò ne hæreticis quidem deneganda fides est, licet enim hi satis pravæ aliàs sint conditionis in statu Civili, Non tamen hæc extendi debent ad ea, quæ de jure Naturæ vel Gentium illis competunt, ut est fides rerum promissarum. Sed posset quis in stando dicere; imò verò; etiam ea, quæ sunt juris Gent. hæreticis denegantur, ut donatio, emptio, venditio, &c. *per l. 4. §. 3. C. de heret. & Manich.* jam verò hi contractus sunt juris Gent. Sed Resp. dictam legem loqui (1) non de hæreticis in genere, sed tantum de Manichæis & crassissimis hæreticis, & quidem (2.) de convictis, jam verò à particulari ad universale nulla est consequentia *Rittersh. de fid. her. serv. c. 16.* Undè sanè laudandum est factum Caroli V. qui Anno 1521. in Comitibus Wormaciensibus. Luthero pro hæretico habito fidem promissam inviolatam servavit, eumque incolumem rursus domum per Caduceatorem deduci mandavit, *Sleid. lib. 3. p. m. 50. seq. 53.* Licet enim aderant, uti fertur, qui juxta Constantiensis Concilii rigorem fidem ei minimè servandam esse dicerent, nihilominus tamen respondit, *fidem rerum promissarum, etsi toto mundo exulet, tamen apud Imperatorem consistere oportere.* In Concilio autem Constantiensi quidam decretum fuisse statuunt, ne fides servetur hæreticis, aut suspectis de hæresi, licet fide publica Cæsaris ad Synodum venerint cognitionis causam. *Sleid. d. l. 3. de Stat. Rel. p. m. 54.* Sed hoc ipsum negant decretum *Acti Dillingenses in tr. den Jungenschlizer §. 4. dicentes ibid.* denn weder der Pabst noch das Costnizer Concilium ein solch Gesetz (daß keinem Ketzer Glauben zu halten sey) gemacht/ denn am selbigen Orth nichts anders beschlossen worden/ denn was vor mahl in jedermann bekandt gewesen/ nemlich/ wenn eine weltliche Obrigkeit einem sicher Geleitte oder was anders verspricht / das benebender geistlichen Obrigkeit / die solches Versprechen nicht gethan / ihre Gewalt hiermit ungesperret verbleibe / und Sie dennoch auf ihre Weise einen Ketzer straffen möge : Quo ipso defendere videntur Joh. Hussum rectè contra Cæsaris Sigismundi datam fidem publicam damnari potuisse à Concilio Constantiensi, non quidem ex hoc principio, quod hæretico non sit servanda fides, sed quod Sigismundus in Concilii & jurisdictionis Ecclesiasticæ

præjudicium, devolutâ ad illud cognitione de hæreseos crimine, Husso saluum conductum promissum, concedere amplius non poterat, cum vulgaris sit regula: *extra territorium jus dicenti impune non paratur*. Verum enimverò falsos esse Jctos Dillingenses ex eo patet, quod Wormatiæ Pontificii expresse hoc Decretum Constantiense urserint contra Lutherum, quod facere non potuissent, nisi reverâ illud extitisset, ut mirari quispiam posset cum *Rittersh. c. 18. def. h. f.* quid in mentem venerit Pontificiis ita statuentibus, cum tamen vel ipse Pontifex maximus, quoties inauguratur ab ipsis Judæis, sine dubio hæreticis, fidem accipiat, eosq; summa cum libertate sua superstitione frui patiatur.

§. 9. Prætereâ etiam illis servanda fides erit, qui vel ipsi fallere alios student; exemplo Josuæ, qui cum circumscriptum à Gabeonitis simulantibus se esse advenas animadvertit, nihilominus pacem, quam promiserat, non censuit revocandum, quia firmata erat sacramento, ne dum alienam perfidiam redargueret, suam fidem solveret, quare dicebat: *Fidem servabimus, ne Dei, quem foederis testem appellavimus, iram in nos concitemus. Jos. IX. 19. 20.* quam etiam perpessus est Saulus Rex. Nam cum is post aliquot annorum spatium foedus violasset, plurimis contra fidem trucidatis, perfidiam istam DEUS severissimè in Populo Israelitarum vindicavit trium annorum fame *2. Reg. XXI.* Sed huic asserto maximè contrariatur expressa juris Canonici Regula *75. in 6. Fides non est servanda fidem frangenti.* Verum Resp. illa tantum procedit (1.) si violatio reciproca fit in eodem facto v. g. si infidelis ex odio Christianæ religionis deserat fratrem, tunc ipsi deserenti non tenetur fidem conjugii servare inviolatam; Non enim subjectus est servituti in ejusmodi *1. Cor. VII.* Contumelia quippe Creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur:

Exempl. Idem est, si partes utrinq; aliquid sub pœna promittant sibi invicem, in l. 54. & una pars prius frangat fidem, tum in optione alterius est, velitne §. 1. ff. stare pacto, & sic servare fidem & prosequi pœnam conventionalem, locat. an verò violare promissum & pœnam remittere; quia hinc indè mutua fit pœnarum compensatio. (2.) si altera obligationum sit conditionata, & respectum ad priorem habeat, secus atq; si diversis vicibus nulloq; habito respectu ad priorem pollicitationem simpliciter hinc indè aliquid promissum est: v. g. promisi tibi aliquando librum dare

dare simpliciter, post aliquod tempus te quoque aliquid daturum jurasti, certe licet ego non adimpleam meam fidem, tu tamen non evitas perjurium, quia simpliciter neque intuitu meae promissionis illud facere pollicitus es. Aliud vero observandum in primo casu, nam cum tibi promitto certum quid, si tu mihi aliud, quod promissisti, dederis, si tu non adimpleas ex parte tua, non teneor ex parte mea, quia mea obligatio dependet à tua, ideo mea conditionata non purificatur, nisi à tempore exeuntis conditionis & à facto tuo praestito, cujus intuitu ego meum promisi, adeoque à me nihil exigere poteris, quia pendente conditione dies neque cessit neque venit. Sed quid juris, si utrinque promissum conditionale est v. g. promisi tibi dare Biblia, si mihi dederis corpus Juris: & vicissim promissisti dare Corpus Juris, si Biblia dederim, quisnam nostrum teneatur primum adimplere promissum? neuter enim alteri nisi conditio ex altera parte adimpletur tenetur. Respondetur quod prius servare fidem teneatur, qui petit, aliàs enim nulla esset petitio, cum nulla alterius mora sit, ex mora enim petitio nascitur, videmus ergo exinde fieri posse ut quis à perfidia excusetur, nec tamen id faciat, quod promissum est scilicet (1.) defectu conditionis, si obligatio non nisi conditione contracta erat, eaque non secuta (2.) compensatione si res injustè detenta compensatur cum promisso *Grot. de J. B. & P. L. 3. c. 19. §. 14. & 15.* (3.) si necessitas aliqua causa sit, quo minus adimpleatur promissum, puta si res promissa perierit, aut ejus copia haberi nequeat.

§. 10. Haec tamen de objecti materialis externi prima specie seu fidei objecto personali egimus. Nunc ad reale seu alteram speciem accedamus, ordinis ratio exigit: Nihil autem aliud per hoc intelligitur quam actiones humanae, dicta & facta tam publica quam privata, quae modo naturali vel civili ratione, in actionem deduci non prohibentur, & quidem quae possibilia sunt i. e. vel actu vel potentia in jure promittentis & in genere, quae non sunt contra bonos mores & justitiam universalem. Haec autem rectitudo seu moralitas actionum aestimatur ex circumstantiis personae, loci, temporis, quantitatis, qualitatis, eventus & causae. Et secundum has aut servanda aut violanda fides est. Incidunt enim casus quandoque ubi quis non solum potest, sed & debet fidem violare: Est enim generale argumentum: *Ubi cumq; super materia illicita fides data est, ibi non est servanda fides, unde Cic. 3. Off. Unusquisq;*

quisq; nihil promittat in honesti & si promiserit, tolerabilius est, promissum non servare quàm facere quod turpe est. Promissio enim, quæ scelere adimpletur, impia est. Damnantur autem non tantùm promissa facti per se illiciti, sed etiam lege improbat.

§. 11. Objectum fidei internum sunt varii affectus impellentes hominem ad fidem vel servandam vel negligendam prout hoc sibi magis expedire intelligit; ex cognitione enim & apprehensione boni & fuga seu aversatione mali oriuntur hi affectus. Sed cavendum, ne quis sine discrimine his indulgeat, hoc enim casu vix fides salva & constans permanebit, quin potiùs omnia prius, quàm promittat, prudenter deliberet, ne forte ipsi postea in medio turpiter desistendum sit. Plurimum ergò ad fidei constantiam & conservationem conducit, si affectus habeamus rationi obtemperantes. Undè rectè Cic. in Off. Duplex, inquit, vis animorum & nature, una pars in appetitu posita est, quæ hominem huc illuc rapit, altera in ratione, quæ docet & explanat, quid faciendum fugiendumve sit, ita fit ut ratio præsit appetitus verò obtemperet.

§. 12. Medium fidei objectum est illa ipsa actio externa excitata ab effectu, & quæ occupata est circa objectum externum, tam personale quàm reale, scil. promissio & præstatio ejus, de quo fidem nostram obligamus, & acceptatio ab altera parte. Hæc enim maximè est necessaria, adeò ut ante factam acceptationem, utpote jure nondùm translato datam fidem sine iniuria, imò & sine inconstantia revocare possimus. Ab acceptatione enim demùm obligatio suas vires accipit, quia eo animo data est, ut ab acceptatione valeat. Hinc nec hæredes ante acceptationem declaratam à defuncto fidem & promissum nostrum urgere possunt, quia præsumitur acceptationem non in hæredum, sed defuncti arbitrium fuisse collatam. Grot. Lib. 2. c. 11. §. 16.

APH. VI. De Forma.

§. 1. Forma seu formale objectum fidei aliud essenziale, aliud accidentale est, Essentiale in eo consistit, ut fiat juxta legis normam atq; præscriptum. Requirit autem lex ad fidei subsistentiam præprimis actionem spontaneam & voluntariam, cujus principium est in agente & singula, in quibus actio est, sciente. Exc. Thomas, Tab. Eth. 11. vitiosus itaq; fidei

fidei præstandæ modus dicitur, ubi quis invitus fidem obstrinxit. Invitus autem quis duobus modis obligari dicitur, scil. vel per ignorantiam vel per violentiam Ignorantia verò alia vincibilis est, alia invincibilis, illa cum quis nescit, quæ tamen scire poterat, & debebat, & ex hac proveniens fides magis in spontaneam inclinat, quia voluntas & scientia hîc adesse præsumitur, sibi enim imputet, quod rei, cujus gnarus esse omninò debebat, & poterat, exactiorem non habuerit notitiam. Hæc, cum quis nescit ea, quæ scire nec poterat, nec debebat. Et hæc propriè est hujus loci, dummodò causam dederit promisso, ita ut si scivisset promittens aliter rem se habere minime promississet *Grot. Lib. 2. c. 11. n. 6.* quia voluntas concurrat ad ultimam actus specificationem. Secus ergò est, si hæc ignorantia saltem comes fuit promissionis, cujus signum est, si agnitionem erroris non sequatur facti pœnitentia, hoc enim casu actus simpliciter invitus dici nequit, adeoq; neq; inter vitiosos modos referri debet. Violentia etiam duplex est, vel enim mera & simpliciter talis est, vel mixta. Mera illa est cujus principum ita est extra voluntatem agentis, aut patientis, ut planè, nihil de sua voluntate ad actum conferat. Mixta est, ubi aliquid de voluntate agentis vel patientis confertur, & hæc voluntas dicitur non plena, quia cum dolore fertur in rem alioquin averfabilem, & quæ extra illas circumstantias non eligeretur. *d. Ex. Thomafius in Tab. Eth.* Pertinent itaq; huc, qui vi, metu, dolo, persuasionibus, quæ sæpè plus operantur, quam violenta coactio, & similibus circumstantiis ad fidem præstandam voluntatem suam communicant, & ex præsumptione majoris mali minus elegerunt. Licet autem hæc voluntas sit non plena, plenam tamen obligationem naturalem producit, sed is, cui promittitur, si metum injustum intulerit, quem secuta est promissio, tenetur liberare promissorem, si promissor velit, non, quod inefficax fuerit promissio in se considerata, quæ summo jure subsistit ex duorum malorum concursu & minoris electione proveniens, sed quia iniquum est ex propria malitia lucrum sentire & ansam dare tumultibus add. *Grot. d. c. 11. n. 7.*

§. 2. Forma accidentalis fidei est v. g. ut aliquandò fiat concurrente stipulatione, ut in scripturam redigatur, interdum nudis, interdum juratis verbis proferatur, it. ut fiat signo, v. g. annulo dato, ut quandoq; in sponsalibus fieri solet, & similibus modis.

C
APH.

APH. VII.
De Causa Efficiente.

Causa Efficiens fidei alia remota est, alia propinqua. Remota est ipsa æquitas seu ipsum jus Naturale non tantum, sed & Gentium (omitto jus Civile quia hoc non adeo ad Cathedram Philosophicam spectat.) Hæc enim jura sunt quasi conventiones quædam publicæ, juxta quas actiones humanæ institui & dirigi debent, quare ipsis obsequi omnino par est. Propinqua, ipsa principia actionum humanarum, scilicet intellectus & voluntas personæ alicujus idoneæ & quæ obligari potest. Hæc quippe sunt, tanquam generales causæ obligationum, unde si deficiunt neque obligatio firma est, ex quo sequitur, quod ob carentiam intellectus furiosus & similes firmiter fidem suam promittere nequeant, idque ex natura actus, & ex Jure Gentium descendit, dum ante omnia hic requiritur mentis integritas, quæ non est in furioso. Idem est in voluntate, quis enim est, qui fidem pollicetur, cui desit animus & voluntas sese obligandi, licet illa quandoque imperfecta ut supra aph. 5. §. 5. dictum. Solet autem hæc voluntas plerumque causam aliquam & affectum habere concomitantem, quales sunt inclinatio, spes lucri, facilitas, inconsultus calor, jactantia, &c.

APH. VIII.
De Fine.

Fidei finis potissimus est salus publica, unde ad Civilem societatem conservandam nihil tam necessarium, quam ut jus & fides in moribus conserventur. His enim sublatis facile societas humana dissolvitur, & sequitur diffidentia, & perfidia inolescit, levitasque oritur, quæ omnes imperio maxime præjudicant. Contra fides & morum integritas benevolentiam hominum conciliant, hominesque hominibus jungunt, & omnis societas humana incrementum capit. *Nobis enim solis nati non sumus, sed aliorum potius hominum causa generati, ut alter alteri possit prodesse. Cic. lib. 1. Off.*

APH. IX.
De Effectu.

Effectus fidei est obligatio, quæ promissor obstringitur ad aliquid

quid dandum, faciendum vel præstandum. Sed hæc ipsa obligatio non semper eodem modo efficax est, sed vel magis vel minus stringit, habet enim suos gradus, prout fides diversimodè promissa fuit. Sic secund. *Cic. 1. Off.* ne quidem obligant promissores ejusmodi promissa, quæ his, quibus est pollicitus, sint inutilia; & promittenti plus noceant, quàm illi profint, cui promissio facta. Sed respondit eidem *Wolff. in Comm. ibid. Lib. 1. p. m. 154. seq.* quod Ciceronis verba restringenda sint ad casus, ubi promissa non sunt adeò magni momenti, quæq; non servata parum lædunt eum, cui sunt promissa. Nam si ad graviora negotia, propter quæ fides data est, transferantur, Civilis consociatio facilè destrueretur, dum quilibet spe majoris emolumenti à data fide recederet, ut ergò in gravioribus negotiis datam fidem servare gravitatis & constantiæ est, ita in levioribus nullam petentibus veniam aut mitigationem concedere, inhumanitatis & morositatis est.

APH. X.

De Contrariis.

Fidei autem nihil magis contrarium est, quàm perfidia, quæ plerumq; funestos solet habere exitus. Perfidia autem quædam species sunt fraus in verbis, quâ specie deceptus Landgrafius Hassiæ, dum in Cautionis tenore pro voce *evige* posita est *evige* *Thuan. Lib. 4. p. 196.* Pertinent quoq; huc, qui pacti aliquot dierum inducias noctu excursions agebant. *Cic. Lib. 1. Off. it.* Rhadamistus, qui Mithradatem castello egressum primum quidem *socerum & parentem* appellabat, & effusus in ejus amplexus jusjurandum adjecit: *Non ferro, non veneno, vim ei illaturum;* sed postea decidisse, simulans genua Mithradatis invadebat, ipsumq; prosternebat. Hinc concursu plurium ipsi supino injecerunt catenas & compedes. Enimvero Rhadamistus, quasi jurisjurandi memor, non ferrum, non venenum in Mithradatem expromebat, sed projectum in humum, & veste multa gravius opertum, necabat. *Tacit. in Annal. Lib. 12. §. 10.* quò ipso quidem, cum cæteris, de quibus locuti sumus, servavit, quod promiserat, dum verborum suorum nimium rigidus erat custos, reverà tamen injustus erat, quia rationem, quâ sermo ipsius explicari debebat, contra conscientiam neglexerat. Verum igitur est, in
hoc

hoc & similibus exemplis, quod vulgò fertur proverbium: quod summum jus sæpè summa sit injuria. Quod verò talis verborum fallacia illicita, patet tam ex causa efficiente, provenit enim ex prava intentione, quàm causa materiali, quia simulatur res, quæ non erat simulanda; imò ex fine, quia vergit in proximi perniciem. Nemo igitur tam obstinatè inhæreat verbis & ἡ ἀλήθεια & negligat διαβολαίαν, nec enim tam verba, præprimis si cum fine pugnent, quàm ipse finis spectandus, laxaq; magis quàm stricta eorum interpretatio observanda erit Grot. 3. c. 21. §. 14. & 15. Et omninò optandum est cum Cic. 2. Off. ut omni ex vita simulatio & dissimulatio tollatur, contra introduceretur Sinceritas & Fides.

Atque hæc sunt BL. quæ pro ingenii tenuitate, de Fide placidæ ventilationi proponere volui, si alicubi erratum fuit, à bonis veniam peto & spero. Nam multi Jcti & Politici in hoc argumento dissentientes deprehendi, undè nec erubescam, si quid melius audivero, discere.

Nunc DEO sit Laus, Honor & Gloria.

F I N I S.




ULB Halle
006 682 26X

3



1077







Farbkarte #13

B.I.G.

1676, 12

Q.
ILOSOPHICA

E,

Fac. Phil.
tilandam proponunt

icolaus **Sttig** /
ndid.

Seligmann /
gift. Cand.
M. DC. LXXVI.
C.

I. WITTIGAU.

1676

